

Appendix. — Europa Nro. 62.

## Regnum Mortuorum.

Sermo politicus de Pulchritudine (*To kalon*)

*Elysium* — *Meum* 19. Julii 1808.

Non e bello quel, qu'e bello, ma quello, que piace.  
(Non quod pulchrum habetur, sed quod placet, pulchrum est.)

*\*Proverbium Italicum.*

Anno 1622 Dux C. delegit sibi sponsam Principissa B. quam apud omnes amicos velut idolum pulchritudinis declamabat, et cum jactatione ostentabat per omnem Romam effigiem ejus; universalis, quid venturum esset, erat expectatio; tandem comparuit, et ecce! An haec illa pulchritudo; iuterrogabat unus alterum? aspiciebant illam curiosi hinc, et illinc, et omnes attoniti fitebantur ingenue; eam non tantum non pulchram, sed revera turpem esse. Dux observans hanc communem admirationem, declaravit palam et publice, se optimam partem elegerit; quia, dicebat, non omne, quod pulchrum habetur, sed quod placet, pulchrum est. — Haec solennis declaratio unius viri, cujus talenta publice nota erant, transivit de ore ad os, donec tandem in proverbium abivit — Et an non hodie ita est?

Sed an datur realis pulchritudo? Interrogaram, ait Voltairus, quid sit pulchrum? aut diabolus, aut hominem ex Guinea, quivis te instruet, nam omnes habent *To Kalon*. Interroga Philosophum, hic solus tibi respondebit per Galimathias. Verum est, eruditos frustra quaesivisse claram pulchritudinis ideam, quorum instabiles opiniones saepius praeter sonantia verba nihil sunt. Solus homo, qui in iudicio suo semper eo conmittitur, ut semetipsum intelligat, non audet hanc impossibilem ideam attingere, sed vult rem ex quodam depurato sensu interno deducere, quod tamen nos iterum, quemadmodum omnes sensus, ambiguos reddunt, quemnam ex tanta internorum sensuum varietate eligere debeamus. Si totum id pulchrum est, quod bene organisato observatori placet, quare viri etiam boni gustus strophium saepius ad Roxelane projiciunt? Cur bonus artifex modulum suum inter Elmiros quaerit?

Concordia omnium partium pulchritudo esse non potest, quia semper adhuc quaestio est, quae inter tot pro-

po tiones, quae sunt, pulcherrima sit? Partes unius Kamtsadali non minus concordant, quam unius Antinoi, et generaliter proportio non aliud est, quam mensura. Observemus licet omnes correlationes Polycletis, et quamvis figuram rite mensuremus, ideo tamen nunquam inde pulchram eformabimus figuram. Minus aptitudo, et perfecta habitudo omnium partium ad suos fines, pulchritudo dici potest. Oculus Polyphemi non minus, quam Apollinis ad videndum aptus est; os deforme saepe amaenius loquitur, quam nitidum; et nec hystrix, nec vespertilio ideo pulcher est, quia omnia membra proportionata sunt. Juxta principia *Burke* (quod per parenthesis dictum esto, magis lusus ingenii, quam seria mens ejus fuit) *Babé*, Pumilio Stanislai Regis, fuerat pulcherrima figura humana, et Colibri, perfectissimum naturae productum, ne homine quidem excepto.

Habet quidem humana figura certam pulchritudinis mensuram, sed haec per revelationem confirmata non est, nec paucis quibusdam Praedestinatiis innatum, et non de caelo, sed ex Graecia venit; ubi natura in temperato climate, ut *Vinkelman* dicit, cum suis extremitatibus non pugnat, et nullas formas seu praematuras, seu immaturas relinquere debet; et profecto, cum perfectio productorum naturae non nisi sub certa Zona obtineatur, hoc ipsum etiam de homine intelligendum. Nos Germani adhuc nullam novimus mensuram, dum nostras Statuas Irmenas, et nostras Rolandas struximus, et Barbari, qui super arcu Constantini reliquias artis Graecorum cum giganteis suis formis conjunxerant, contempserant hanc proportionem ex stupiditate; ast ubi ratio ex religione illuxit, etiam sensus, et judicia evaserunt perfectiora, et homines gustum *Periclis* praeposuerant gustui *Chilpericorum*, et *Dagobertorum*.

Sen an Graeci jam metam attigerunt? An *Apollo* eorum est summum ideale juvenilis pulchritudinis Deorum? An nunquam amplius accidere potest, ut exaltata imaginatio cujusdam artificis *Messiam* adhuc in sublimiori imagine fingat? An *Klopstok* multum petit, dum a nobis praetendit, ut Graecos, et Deos superemus, nosque in magnis affectibus religioni confidamus, ut hominis filium digne praesentemus? Talis idea licuit *Poetae*, qui in fictionibus idearum Graecos certe superat, sed provocat Artificem ultra metam suam. *Poeta* exultat se in regiones, quo artista eum volando sequi non potest. Ille potest successive proente, quod producere vult, affectus nostros incendere; potest progressive agere, ille potest et ipse loqui, et alios loquentes inducere, sed fingit etiam proprietates, et perfectiones, quae extra sphaeram artium elegantiorum jacent.

Dum Phidias Jovem pinxit, nullum habuit formulare, sed laboravit secundum ideam, quam ex Homero sibi de Jove formaverat; fecit in sua imaginatione sibi imaginem Deorum.

Ponamus *Pu Quo* (Pictor Chinensis) fuisse Christianum; tunc legisset Messiam cum affectu, et secutus fuisset affectus Poetae; certe Raphael, et Michael fuissent tamen Chinensibus similes. Pater *Attiret* in palatio Pekinensi pinxit figuras muliebres juxta *Boucher*, sed Imperator, vir, qui caput et gustum habuit, illas absurdas reperit, et ideo per pictorem chinensem in formas chinenses mutari jussit.

Exalta te in spiritu artista Juvenis! per sublimes cantus Messiae; imbibere, si potes, omnem ejus spiritum poeticum; solus enim fervor religionis accendit apud gentes lumen artium; sed quamcunque potens te penetret spiritus, nunquam tamen imaginatio tua perfectiorem oculum, pulchriorem nasum, aut amoeniorem frontem eformabit; luctaberis tecum, ut nobiliorem formam, et sublimitatem expressionis tibi comparare valeas; rejicies identidem tentamina, donec ideale, ut Raphael, non ex imitatione, sed ex phantasia reperias, tunc non amplius dicetur: Non esse pulchrum, quod pro tali habetur, sed est pulchrum, et in aeternum manebit pulchrum — Nunc jam aliquid de nova pulchritudine Monarchiae hispanicae.

*Parisiis 14. Julii*: Monitor haec Bajonna scribit: Regem 9. hujus mensis Madritum discessisse. Authoritates omnes stabant ad portam hispanicam; Militia in armis, et tormenta reboabant. Rex in prima Statione postali ab Imperatore fratre suo avulsus, Ministrum Indiae *D. Azanza*, et Ducem *Parque*, Capitaneum Turmae Praetorianae in currum suum accepit. Comitantur praeterea Regem duo Ministri, Dux de Infantado, Princeps Castel franca, Dux Hijar; Dux Frias; Comes Fernan Nunetz, Comes Orgacz, Comes de Santa Colonna, Marchio de Sancta Crux, et complures alii viri eminentiores de quavis classe. Commembra Juntae sequuntur Regem in tribus Sectionibus, ita, ut quavis die alia Sectio currum Regis comitetur; Reliqua circa Sessionem 12. seu ultimam Juntae legi possunt in Europa Nr. 60.

Ephemerides Hamburgenses narrant: naves Suecorum bellicas, et alias similes machinas, inter quas et homana numeratur, versus Finniam tendere. Notum est, Regem Sveciae in famoso processu inter mare et Continentem magnum ludere velle figuram; sed denique Finnia jam est Russorum, et si Sveci 10,000 militum, quod admodum durum est, eorsum mittant, tunc mittent Russi 20,000 et sic pro-

gressive. Si Svecia se cum Anglia conjungat, et omnes naves eo mittat, quid proficient ambo? Possunt quidem in mari praedari, inde loca in continente tormentis impetere, ast in continente Finlandiae sunt Russis impares; *Consequentia in forma.*

Nec in Norvegia erant Sveci feliciores; Interim leguntur in Ephemeridibus publicis tria memorabilia: 1) Die 9 Julii comparuit ad portum Gratiae in littore Galliae navis anglica, et capitaneus dicebat, se ad commendantem Portus litteras habere, sed pro responso accepit, nullam inter Galliam, et Angliam esse communicationem. 2) Litterae Burdegalenses dicunt, naves americanas sequaestro subjectas esse, bellumque inter Galliam, et Americam inevitabile esse, cum neutralitas Americanorum non nisi fucata esset, quae Galliae magis, quam Angliae nociva est. 3) Altonae percrebuit 6. Julii rumor; Classem anglicam 20 classicarum comparuisse ad portum coronensem in Russia, variasque propositiones fecisse, minata excidium, nisi haec propositiones indilate acceptentur; sed non terruerant Russos vanae Anglorum sine viribus irae.

*Hamburgenses* litterae narrant, universas machinas bellicas Sveciae, machina humana non excepta — Finlandiam versus dirigi, Notum est, Regem Sveciae ob situm Regni, et animi praesentiam in processu inter terram et aquam heroicam ludere velle personam; Ast Finlandia est semel pro semper russica; si Svecia 10 millia militum illuc mittat, quod arduum est, tunc mittet Russia 20 millia; et etiamsi Svecia cum Anglia unita, omnes naves bellicas illuc mittat, quid ambo proficient? Rapiunt in mari naves, jaculabunturque de mari ad terram, ast ad continentem nunquam tantam militiam mittere possunt, quantam Russi — *Consequentia in forma.* — Nec in Norvegia benignior fuit fortuna Svecis.

*Journal de Paris* dicit: Cabinetum Austriacum, quod maxima omnium regiminis curarum, cura scilicet felicitatis populorum regitur, omnes insinuationes constanter repudiavit, quae ad bellum provocabant; votum ejus est conservatio neutralitatis, hinc relationes ejus cum Gallia nunquam adhuc magis pacificae fuerant, quam nunc sunt — Postremae litterae publicae uno ore referunt, Imperatorem adhuc aliquo tempore Bajonae moraturum.

Quod in multis Ephemeridibus vulgatum erat; Legatum quippe Austriacum Monachii Comitem Stadion hinc ad legationem Petropolitanam abiturum, ad litteram falsam, et novitas ex aere sumpta est. Optandum esset, ut omnes Novellistae ea, quae scribunt, prius magis ruminarent, antequam describunt, neve manum elevare possent, ne accepto ex aere atramento scribant.